



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Barbatianvs Conf. 31. Decembris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

31. DEC. *Vita Sanctorum.* 711
ploratio totâ urbe facta aures Impera-
toris exoravit, factique pœnitens, cen-
suit ipse hoc quoq; ingens scelus esse,
facere scelus voluisse. Interea principū
Apostolorum species dormienti oblata
vocare SILVESTRVM jussit, qui fan-
ctiores illi thermas ostenderet. Vocavit,
& Christianis undis lotus, lepram cor-
poris animique exiit. Triumphum
SILVESTRO mortuo an. CCC.
XXXV. cœlum decrevit. *Ex Baron.*

S. BARBATIANVS CONF.

31. Decembris.

BARBATIANVS Sacerdos Antio-
chia Romam venit, credo ut virtus
viri, & prodigia facilius inde in orbem
se diffunderent. Etenim cum sub ad-
ventum suum cœcum, alteramq; oculis
laborantem puellam curasset, oculos
omnium in se vertit; & cum servulum
Imp. Valentiniani per scalam præcipitem
in pedes erexit, ipsum sibi Imperatorē
devinxit. Igitur à Placidia Augusta Ra-
vennam deductus, auctor huic cœpit
esse, ut D. Joannis, quem Evangelistam
dicimus, honori templum augustum
moliretur. Persuasit, & ubi ad fasti-
gium fabrica fuit deducta, ecce ipse
Divus Joannes Pontificali habitu in-
signis ad eam sacrare visus est, & mira-
culi vestigium sandalium dextri pedis
Augustæ relinquere. Atq; hoc templū,
cum

cum illi jam totum se BARBATIANVS addixisset, miraculis pluribus decoravit. Nam Cruce (familiari jam medicinâ) & strumam à collo nobilissimi adolescentis, & à matronâ sanguinis fluxum pepulit; atque hæc cum grata sapius ad templum inviseret, sinistra suspitione ductus maritus, BARBATIANVM in templo stricto ferro aggreditur. Sed manus, pes, lingua hominis tam diu in loco obriguerunt, dum facilis etiam in hostes medicus BARBATIANVS precibus suis emollit.
Ex Ferrar.

S. COLVMBÆ VIRG. M.

31. Decembris.

INNOCENTIS COLVMBÆ sanguinem qui fundere hodie potuit, an non rectè hunc accipitrem dixerò? Fuit hic Aurelianus Imp. qui ubi Senonas (patriam COLVMBÆ) venit, illico in virginem castissimam involavit, prædamq; filii amoribus servaturus, precibus, promissis, minis à Christi amplexibus virginem studuit avocare. Sed qui potuisset avelli, quæ his se tam arctè illigaverat, hedera? Ergo aut sacrificia, ait tyrannus, aut tute igne sacrificabere, nec prius quam quem maxime amas pudorem Veneri litaveris. Risit ad illa virgo, ad hæc cohorrui. Nec mora ad lupos abducitur; & ecce Barucha juvenis prin-